

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptuarium allegoriarum sacrarum praecipua fidei christianae capita illustrantium: indice quadruplici instructum post editiones 5 revisum, iam septimo recusum

Botsack, Johann

Francofurti ad Moenum, 1678

Caput III. De spiritu sancto

[urn:nbn:de:bsz:31-142795](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-142795)

CAPUT III.

DE SPIRITU
SANCTO.

SPIRITUS SANCTUS
fœdus nostrum cum Deo confirmat
& flamma est.

90. *Fœdere inter Abrahamum & Deum pacto, flamma per medium transit, Gen. 15. v. 17. Pacto inter Deum hominesque fœdere Christi merito Matth. 26. v. 28. ecce flamma, Spiritus sanctus, per medium transit in festo Pentecostes, Act. 2. v. 2. & ne de fœderis certitudine ambigeremus, in medium nostri, hoc est, cor effusus est, Rom. 5. v. 5. cap. 8. v. 15. Ille est pignus hereditatis nostræ, quam spe habemus, Rom. 8. v. 23. Spiritus sanctus quoque flammæ ignis comparatur.*

1. *Ob conjunctionem ignis: Flamma cum igni semper conjuncta: Ita ubi Spiritus sanctus est, ibi semper charitatis ignis, Gal. 5. v. 6. Fides per charitatem efficax est.*

2. *Ob ignis proditionem. Ignem flamma prodit; Charitatis ignem Spiritus sanctus ostendit, Gal. 5. v. 22. Fructus Spiritus est charitas.*

3. *Ob perpetuam motionem: Flamma semper movetur: Spiritus sanctus semper movet, agit, Rom. 8. v. 14. regit, Gal. 5. v. 18. renata hominum corda.*

4. *Ob subjecti elevationem; Materiam enim, cui*

con-

conjungitur flamma, sursum elevare conatur: Ita ubi Spiritus sanctus est, corda ad Deum elevat, Thren. 2. v. 19. tanquam ad thesaurum verum, Matth. 6. v. 20. ad politeuma verum, ad patriam veram, Philipp. 3. v. 20.

5. *Ob extinctionem.* Ventus flammam extinguit: Ita peccatorum nostrorum ventus Spiritum sanctum extinguit in cordibus nostris, eum exacerbat, Esa. 64. v. 10. tristitiâ afficit, Eph. 4. v. 30.

SPIRITUS SANCTUS

cor regenerans.

91. *Terra in prima creatione erat vacua & inanis:* Gen. 1. v. 2. Ita cor nostrum, quod nihil, nisi terra est & terrena sapit, 1. Cor. 15. v. 47. (Hinc toties cœlestia querere monemur, Col. 3. v. 1. Phil. 3. v. 19. & 20.) Vacuum & inane pictatis & lucis. Spiritus sanctus autem illud impleat fructibus, Phil. 1. v. 11. Eph. 3. v. 19. Coloss. 1. v. 9. & 1. Cor. 2. v. 10. si fructiferum esse debet, necessum est. Est enim vacuum bonitate, quia cordis figmentum malum est, Gen. 6. v. 5. vacuum pietate, plenum immunditiis, Ezech. 14. v. 3. Prov. 20. v. 9. vacuum mollitiæ, duritiæ plusquam lapideâ, Ezech. 36. v. 26. præditum est. Ἀπεισις ἐν, Jerem. 17. vers. 9. quia spe vacuum est.

SPIRITUS SANCTUS

in Apostolos effusus.

92. Exod. 12. v. 10. *Si quid residuum erat agni paschalis, igne comburendum erat.* Agnus noster Christus immolatus erat, 1. Cor. 5. v. 7. Residuum ipsius erant Apostoli (unum enim corpus sunt cum capite Christo,

D 3

pii

pii membra Rom.12.v.5. 1.Cor.12.v.27.) Hi igne Spiritus Sancti comburuntur: (Ideo igneæ in eis linguæ visæ sunt, Act.2.v.3.& terrena quæque in eorum cordibus, amore divino exuruntur.

SPIRITUS SANCTUS

50. die visibiliter missus.

93. *Quinquagesimo, post liberationem ex Aegypto die, Dominus in montem Sinai, legem promulgaturus, descendit, tonitrua & turbines horribiles auditi sunt, Exod.19.v.16.17. Quinquagesimo die post spiritualem nostri ex inferno liberationem, Os.13.v.14. Hebr.2.v.14.Zach.9.v.11. Spiritus Sanctus descendit, non ut legem, sed Evangelium per discipulos in toto mundo promulgaret, Matth.28.v.19. In turbine quoque apparuit Act.2.v.2.3. sicut in monte Sinai, ad deprimendam omnem superbiam: sicut vento & turbine excessæ arbores quatiuntur, Psal.29.v.5. Disparitas tamen veteris & novæ Pentecostes non minima est: 1. In vestium lotione. Israelitæ vestes lavare jubebantur, seque sanctificare: Exod.19.v.10. At in Pentecoste novâ expirant ablotiones Leviticæ: Ipse Spiritus Sanctus instituit lavacrum regenerationis, Tit.3.v.5.6. fide corda purificat, Act.15.v.9.& aquam mundam spargit, quâ lavamur & vestes nostræ.*

2. *Populi sequestratione, Exod.19.v.12. Israelitæ enim velut sepimento arcebantur à montis accessu: At in Pentecoste nova sepes illa sublata est, omnibus patet ad Sion montem aditus Christo maceriem tollente, Eph.2.v.14. Hebr.12.v.22. quæ nos à Deo discriminabat. In monte enim Sion liberum habemus accedendi, conversandi jus, Rom.5.v.2. Eph.2.v.18. cap.3.*

vers. 12. partum per regem montis Sion, Psalm. 2. v. 6.

3. *Apparitionis Domini terribilitate.* Fulgure namque & coruscationibus Dominus apparuit, nebulis involutus densissimis; auditus quoque tubæ sonitus clangorque vehementis, v. 16. d. l. Exod. 19. At in nova Pentecoste nulla fulgura & coruscationes, nulla nebula, claritate Evangelii illucescente: nullus tubæ sonitus auditur, cum regnum illud gratiæ, in Evangelio revelatæ, in toto orbe propagatum esset, Act. 2. v. 2.

4. *Populi terrore*, d. l. ψ. 16. At in novifcederis Pentecoste nullus timori locus relictus est, patefaciente se spiritu filiali, per quem clamamus, *Abba Pater*, Rom. 8. v. 15. Gal. 4. vers. 6. *Ille est pignus in cordibus nostris.* 2. Cor. 1. v. 22.

5. *Populi in occursum Dei educatione*: Hoc solum Moses præstare potuit, populum in occursum Dei educere; ad Deum ducere non potuit. At in nova Pentecoste ad ipsum Deum deducimur, non ut terreamur, sed ut per Spiritum sanctum consolationem habeamus, qui eò nomine *paracletus* audit, Joh. 16. ψ. 7.

6. *Populi ad radices montis statione.* d. l. At in nova Pentecoste non ad montis radices, sed in ipsum montis Sion culmen deducimur, Hebr. 12. v. 22. cum Spiritus sanctus regnum illud gratiæ per Apostolos prædicavit, Luc. 24. vers. 47. Omnes accedere iussit, Col. 1. v. 28. Marc. 16. v. 15.

7. *Montis qualitate.* Totus mons iræ divinæ documenta exhibuit in V. T. Pentecoste: Hæc sunt ignis, fumus fornacis, d. l. ψ. 18. tremor, inferni signa evidentissima, in quo ignis inextinguibilis, Esa. 66. ψ. 24. Matth. 3. ψ. 12. fumus poenarum tormentorumque perpetuus, Apocal. 14. ψ. 11. damnatorum tremor, Matth. 3. v. 12. Hæc omnia cesârunt in N. T. Pentecoste: non

ibi ignis lædens, sed linguas Apostolorum sine damno tangens: non fumus obscurus, sed summa claritas; non tremor, sed gaudium.

SPIRITUS SANCTUS contristatur.

94. *Polluere Sanctuarium vetuit Deus, Lev. 21. v. 12.* Spiritus sanctus Dei est Sanctuarium, quod sanctificamur in verbo, Ephes. 5. v. 26. tanquam Spiritu sanctificationis, Rom. 1. v. 4. Hoc sanctuarium Dei polluit, qui Spiritum sanctum tristitiâ afficit, Eph. 4. v. 30. Esa. 63. v. 9. Caveamus itaque, ne Sanctuarium Domini polluamus, quia oleum sanctæ unctiōis super nos quoque est, quod velut Sacerdotes spirituales inaugurati sumus, 1. Pet. 2. v. 9. Oleum illud Spiritus sanctus est; Vide infra, Spiritus sanctus Oleum,

SPIRITUS SANCTUS est ignis.

95. *Levit. 1. v. 7. Lignis ignis subiciebatur: Ignis ille Spiritus sanctus: Ligna homines sunt, qui cum vera pietate velut igni exardescere debent, aut studio cognoscendi verbi divini (sicut cor discipulorum, Luc. 24. v. 32.) Spiritus sanctus cor urat necessum est. 2. Ignis purificat omnia: Ita Spiritus sanctus corda hominum emundat, A Cor. 15. v. 9. Fide purificans corda eorum. 3. Ignis quoque aëris contagium tollit, quando eum purificat; Ita Spiritus sanctus peccatorum labem excutit & purgat. 4. Simson igni segetem Philistinorum combussit Jud. 15. v. 5. Per Spiritus sancti ignem Christus inimicos devastavit, prædicationis igni ubique locorum*

accen-

accenzo, 2. Cor. 10. v. 5. etiam in pueris, Matth. 21.
v. 16.

SPIRITUS SANCTUS

die Pentecostes demissus.

96. *Absolute Salomonis templo, & precibus, ignis descendit de caelo, & devoravit holocausta & implevit domum, 2. Par. 7. v. 1. Major Salomone Christus, Matth. 12. v. 42. templum Ecclesiae reedificaverat morte sua, ardentem oraverat, Joh. 17. per tot. lapides vivos. 1. Pet. 2. v. 5. praeparaverat; Dormit in cruce, ut costa aedificaretur ex latere Eph. 5. v. 24. 25. Absolutò ergo hòc aedificii spiritualis opere (consummatum est) ignis ille verus Spiritus sanctus igneà formà descendit, A.ctor. 2. v. 3. discipulos, vera illa holocausta, accendit, & majestate sua totam Hierusalem implevit. Differt tamen illa gloriae JEOHOVÆ apparitio in V. T. facta, ab ea, quae in N. T. A.ctor. 2. v. 2. 3. ut supra all. 93. explic.*

SPIRITUS SANCTUS

à Christo missus.

97. *Elias montem Carmel ascendit, & à Domino precibus pluviam impetravit, magnà sterilitate terram premente, 1. Reg. 18. v. 42. ita verus Elias in montem caeli, Psal. 121. v. 1. ascendens, Spiritum sanctum pluviam caelestem, verbum in cor nostrum depluentem, demisit, agrum cordis nostri sitientem, exarescentem, ut expleret, Eph. 4. v. 8. 10. Psal. 69. v. 19.*

CHRISTUS SPIRITUM

sanctum demittens.

98. *Apoc. 8. v. 3. 5. Angelus coram altari sabbatib.*

D 5

lum

lum aureum in manu habens thus adolevit. Idem tandem ad thronum pertigit, thuribulum de carbonibus altaris replevit, eos in terram effudit. Typum effusionis visibilis, Spiritus sancti in Pentecoste habemus.

1. *Ob Angelum.* Angelus ille Christus est, Angelus JEHOVAH & testamenti, Malach. 3. v. 1. Angelus ille, in Apocalypsi, coram Deo apparet; Christus pontifex noster semper coram Deo apparet, ut interpellet pro nobis, Rom. 8. v. 34. Hebr. 9. v. 24. Angelus ille in Apocalypsi ad altare pervenit in cælis: Christus solus ille est, qui ad altare in cælis pervenit ipse altare factus, Heb. 13. v. 10. (Levitæ ad altare in terris vacuum intus, duntaxat pervenerunt, vide supra 39.) Tunc autem ad altare venit, quando gloriosus sacerdos ascendendo cælum ingressus est, Heb. 8. v. 1. 2. 3.

2. *Ob thus.* Thus adolevit angelus Apocalypticus: Verum thus sunt Christi 1. *Preces*, quas largiter effudit, totò Johan. 17. capite, & in cruce, Hebr. 5. v. 7. 2. *Christi innocentia*, Esa. 53. 3. *Christi obedientia*, Psalm. 40. v. 9.

3. *Ob thuribula.* Angelus Apocalypticus thuribulum habuit in manu: Christus quoque thuribula habet in manu: Hæc significat Apostolos, qui odorem Christi suavissimum ubique sparserunt, 2. Cor. 2. v. 14.

4. *Ob ignem*, quem habuit angelus in Apocalypsi. Ita Christus est ignis: hic SPIRITUM SANCTUM denotat: Vid. infr. allegor. 100.

5. *Ob effusionem:* In terram ignem effudit angelus: Christus in terrea discipulorum corda, regni terreni opinione imbuta, ignem Spiritus sancti effudit, in terrena illa vasa, 2. Cor. 4. v. 7.

6. *Ob eventum consequentem:* Factæ sunt voces, tonitrua, coruscationes, fulgura, terræ motus. d. l. Apocal.

cal. Voces notant prædicationis affluentiam & ubertatem, ut Psal. 29. v. 7. seq. *tonitrua* verbi efficacitatem. Vid. *Verbum Dei tonitru*, alleg. 4. Coruscationes & fulgura miraculorum majestatem: *terra motus* populorum infidelium, Evangelium persequentium, turbas & motus, Psal. 99. v. 1.

SPIRITUS SANCTUS VISIBILITER
datus in primitiva Ecclesia.

99. *Eliseus Propheta oleum daturus vidua pauper-
cula, ipse in domum pauperula descendit, ut are alieno
se liberare posset vidua illa, 2. Reg. 4. v. 3. 1. Vidua pau-
percula erat primitiva Novi Testamenti Ecclesia, va-
riis oppressionibus obnoxia, quo nomine cum vidua
benè comparatur. 2. Oleum fidem significare potest,
quia hæc Evangelium amplectitur, in quo Christus
peccatorum nostrorum vulnera obligans, offertur.
(Vide: *Fides est oleum*, infra) 3. *Spiritus Sanctus est Eli-
sa*, quod nomen agnum Dei significat: Spiritus autem
Sanctus agno comparari potest, ob mansuetudinem &
simplicitatem, quæ hujus Spiritus fructus sunt, Gal. 5.
v. 22. 4. Ille igitur non tantum fidei oleum in Domo
Ecclesiæ primitivæ dedit; sed & ipse *descendit visibili-
ter*, & tantâ copia eam implevit, ut Judæa sola vasorum
satis suppeditare non posset. 5. *Vasa* ergo à vicinis quo-
que hoc fidei oleum recipientia, adscita commodata-
que sunt, ut vidua pauperula fecit, 2. Reg. 4. v. 3. eaque
vacua planè, (vide infra: *Gentes adscite*. De Ecclesia)
& numero multa: Maxima enim gentilium con-
versorum multitudo fuit, Act. 15.*

vers. 11.

SPI-

SPIRITUS SANCTUS

est carbo ignitus.

100. *Seraphim carbone ignito, deque altari sumto labia immunda Prophetæ tetigit, Esa. 6. v. 6.* 1. *Christus est verus Seraphim*; arsit enim amore salutis nostræ, Joh. 13. v. 1. cap. 15. v. 13. Luc. 12. v. 21. Hic Spiritum sanctum, ut verum ignem dedit, quem de altari sumpsit, hoc est, de seipso: ipse enim altare nostrum est, Heb. 13. v. 10. Joh. 16. v. 14. 15. Ille ignis immunda labia nostra mundat, aperit, Psalm. 51. v. 17. ino pectus ipsum, Actor. 16. v. 14. cum fidem instillat, qua purificamur, Actor. 15. v. 9. 2. *Spiritus sanctus verè cum carbone ignito confertur, 1. Ob caloris mutabilitatem*: Carbo extinctus non urit, nec scintillat: Ita Spiritus sancti operatio quiescit, peccatis oppressa, cum homines Spiritui sancto obicem ponunt, ut mundus ante-diluvianus. Gen. 6. v. 3. & Pharisæi, Actor. 7. v. 51. Colorem quoque mutat carbo, quando nigrum induit; ita & Spiritus S. hostis sit peccatorum præfractorum, Esa. 64. vers. 10. 1. Sam. 28. v. 16.

2. *Ob scintillationem*: Carbo ignitus scintillat: Ita Spiritus sanctus scintillas bonorum operum, ubi per fidei ignem efficax est, Gal. 5. v. 22. Hæ spirituales scintillæ sursum tendunt, quando ad gloriam Dei omnia referuntur, 1. Cor. 10. v. 31. *Omnia ad gloriam Dei facite.*

3. *Ob operationem*. Carbo ignitus acutissimum maximeque activum habet ignem, quia ferrum ejus beneficio, molle & tractabile redditur. Ita Spiritus sanctus est ignis acutissimus, ferrum & lapidem & Adamantem cordis humani molle reddens, Ezech. 36. vers. 26.

4. *Ob*

4. *Ob impuribilitatem.* Carbo enim in aquam coniectus non putrescit: Ita Spiritus sanctus in aquis tribulationis suâ virtute non deficit, sed nos clamare facit, *Abba Pater* Rom. 8. v. 15. Ps. 69. v. 1. *Aqua usque ad animam!* Iste clamor per Spiritum sanctum fit; nemo enim Deum adorat sine Spiritu precum, Zach. 12. v. 10. nemo Jesum Dominum dicere potest, absque Spiritu sancto, I. Cor. 12. v. 3.

5. *Ob fractionem.* Carbo deficiente humiditatis glutine facile frangitur: Ita Spiritus sanctus expellitur, deficiente charitate. Charitas enim fructus est Spiritus & fraternitatis gluten.

6. *Ob occultationem:* Carbo sub cineribus occultatur, cum tamen ignitus sit: Ita Spiritus sanctus sub cineribus tristitiæ, crucis, penitentiæ, latet sæpè; ignitus tamen fit suo tempore, quando & in ipsa tribulatione pii gloriantur, Rom. 5. v. 3. & vivo solatio perfruuntur, Psal. 51. v. 10.

SPIRITU SANCTO

Apostoli ducti.

101. *Ezechiel rotas vidit, in quibus Spiritus vitæ fuit, circum illas autem flamma & fulgura apparuerunt, quasi carbonum igni ardentium, & quasi aspectus Lampadum, c. 1. v. 20.* 1. Rotæ hæc significare possunt Apostolos, quorum ministerio verbum Dei in mundum cucurrit, Rom. 10. v. 18. I. Cor. 16. v. 9. 2. In his Spiritus vitæ fuit, nempe Spiritus sanctus; qui instar flammæ fulguris, carbonum ardentium, lampadum, in die Pentecostes se exhibuit. 1. Flamma fuit S. Spiritus in purificatione & mundatione Apostolorum; idè in flammis linguæ apparuit: Act. 2. v. 3. 4. 2. Fulgur fuit S. Spi-

S. Spiritus in Apostolis, quando hi cœlesti cognitione velut fulgure totum mundum impleverunt. 3. Carbo ignitus fuit in Apostolis: Vid. alleg. præcedent. 4. Lampas fuit Spiritus Sanctus in Apostolis, quando ille hos lucere fecit *lampade* triplici. 1. Fidei *veræ*, quam ubique propagarunt, Marc. 16. v. 15. 2. Vitæ *sinceræ*. 3. Miraculorum, quorum splendore in toto orbe illustres fuere Apostoli, Marc. 16. v. ult. Et sic Spiritus Sanctus in Apostolis, tanquam spiritualibus rotis fuit flamma, fulgur, carbo, lampas.

SPIRITUS SANCTUS VERE EST

Spiritus vitæ, Ezech. 1. v. 20.

102. *Ob motionem.* Rotæ enim Ezechiel ambulabant & sursum se movebant, quia Spiritus vitæ in eis erat: Ita Spiritus Sanctus facit, ut pii ambulent in via bona, Psal. 143. v. 10. *Spiritus tuus bonus deducat me in terra recta.* Rom. 8. v. 14. Spiritu Dei filii Dei aguntur. Idem Spiritus efficit, ut sursum se moveant pii, interruptis ad Deum gemitibus & suspiriis, Rom. 8. v. 15. *Abba Pater*, & sursum affectuum velut piorum alis ire gestiant, Phil. 3. v. 20. Col. 3. v. 1. 2.

2. *Ob vitæ causationem.* Spiritus vivens dicitur Spiritus ille in Ezechiel: Spiritus Sanctus verè est Spiritus vitæ. 1. *Spiritualis* in hac vitâ; unde spiritu ambulare toties jubemur: Confer Gal. 2. v. 20. 2. *Vita æterna & resurrectionis.* Quisquis enim aquam Spiritus Sancti accipit, in eo fiet fons saliens in vitam æternam,

Joh. 4. v. 14. cap. 7. v. 38. Rom. 8.

vers. 11.

SPI.

SPIRITUS SANCTI DONA CUM
 vento conferuntur. Similis hujus autor geminus.
 1. Christus, Joh. 3. 2. & ipse Spiritus S. in vento se man-
 ifestans. A.ctor. 2. v. 2. 3. Dicitur autem Spi-
 ritus S. ventus;

103. 1. *Ob copiosam effusionem.* Ventus largiter ef-
 funditur: Largissimè Spiritus sancti aqua in nos effun-
 ditur, per Jesum Christum. Tit. 3. v. 6. ita ut integer
 in nobis fons fiat. Joh. 4. v. 14. Hoc est beneficium re-
 demptoris nostri, cui præter mensuram Spiritus col-
 latus, Joh. 3. v. 34. conf. 2. Pet. 1. v. 11. Noster fons
 est Christus, Jer. 2. v. 13. ex quo cum gaudio, tanquam
 salutis fonte, haurimus. Esa. 12. v. 3.

2. *Ob refrigerationem.* Ventus vim habet refrige-
 randi. Ita Spiritus sanctus æstum crucis nostræ refrige-
 rat, 2. Cor. 1. v. 3. Apoc. 1. v. 9. Esa. 30. v. 20. Hinc
 toties Paracletus dicitur, & umbra in æstu, Esa. 25. v. 4.
 c. 49. v. 10. Jer. 17. v. 7. comparatur. Hoc nobis solatio
 sit contra æstum crucis, 1. Pet. 4. v. 12. *Flammas cru-
 cis in fornace tribulationis facit instar roris esse,* Dan. 3.
 vers. 50.

3. *Motus utilitatem.* Aër ventis motus non putre-
 scit; ita corda hominum non putrescunt, Sp. sancto agi-
 tata, Rom. 8. v. 15. sed semper de virtute in virtutem mo-
 ventur, P. salm. 84. v. 8. non putrescunt in mundo, ne ut
 putres pisces projiciantur, Matth. 13. v. 48.

4. *Productionem.* E thesauris venti proferuntur:
 uti sunt specus & loca terræ abdita, P. sal. 135. v. 7. Ita
 Spiritus sanctus è cælo demittitur, è sanctissimis divi-
 næ bonitatis, sapientiæ, thesauris: quocirca virtus ex al-
 to esse dicitur, Luc. 24. v. 49.

5. *Usurpationem.* Venti enim testantur de Dei sapi-
 entia,

entiâ, potentia: sunt currus Dei, Pſal. 104. v. 3. Ita Spiritus sanctus notam facit Dei potentiam, & omnem Dei cognitionem, 1. Cor. 2. v. 15. Currus quoque Dei est, quia per Spiritum sanctum Dei habitatio efficitur, 1. Cor. 6. v. 17.

6. *Nubium coactionem*: Venti enim nubes cogunt. Ita nubes spirituales sunt Doctores Ecclesiæ, qui à Spiritu sancto illuminantur, fœcundantur, pluviam doctrinæ cœlestis implentur, & in Ecclesiæ bonum, ut operarii in messem, extruduntur. Matth. 9. v. 38.

7. *Navigantium deductionem*. Venti beneficiò naves mare percurrunt, ad portum tandem appellunt. Christianismus noster navigatio est in mundi hujus mari: Nostra verò navis, ut feliciter pergat, solius Spiritus sancti beneficium est, Phil. 1. v. 6.

8. *Ignis augmentationem*. Vento namque ignem insufflante, magis magisque idem augetur & exardescit: Ita Spiritus sanctus in officina Ecclesiæ, ubi vasa honoris ad gloriam aptantur: Rom. 9. v. 21. seq. ignis insufflans est, charitatem & fidem excitans. Conf. Mal. 3. vers. 2.

9. *Aeris serenationem*. Ventus aërem serenum reddit, nubes dispellit: Ita Spiritus sanctus cœlum serenat, ut disjectis nebulis, fide verâ Deum intueamur, accenditque cognitionis Christi charitatem, 2. Corinth. 3. v. 17. 18.

10. *Motus occultationem*. Ventum nescimus, quodque spiret: Ita Spiritus sancti motus occulti & humanæ rationi inexplicabiles, Joh. 3. v. 8.

SPIRITUS SANCTUS

est Sigillum,

104. Quo obſignati ſumus, Eph. 4. v. 30. qui fiducia
ſigil-

figillum cordibus nostris inscribit, ut illud non possit nos condemnare, 1. Joh. 3. v. 20. nomen Jesu inscribit, sicut olim nomina filiorum Israel gemmis: Exod. 28. v. 12. Ille enim figillum cordibus nostris imprimum. Cantic. 8. v. 10. *signaculo spirituali* circumcisionis nos signans, Philipp. 3. v. 2. obsignatum scripturæ librum resignans, de salute nos confirmans, Joh. 6. v. 27. 2. Corinth. 1. v. 21. Eph. 1. v. 13. Apoc. 7. v. 3. seq.

SPIRITUS SANCTUS

in Ministerio Apostolorum Christum notum reddens.

105. 1. Reg. 18. v. 38. *Ignis de cælo delapsus, lapides altaris accendit, verum Deum Israelis ostendit*: Ita Spiritus sanctus per ministerium Apostolorum Christum monstravit, lapides vivos, h. c. Apostolos accendit, Act. 2. v. 1. 2. Verè illi lapides fuerunt. 1. *Ob cordis duritiem*, quam eis Christus exprobravit, Marc. 16. vers. 14.

2. *Ob protensionem ad terrena*. Lapidem terram petunt, in hac requiescunt. Regnum enim terrenum & honores à Christo expectabant, Matth. 20. v. 21. cap. 19. v. 27. 28. & sic terreni erant.

3. *Gravitatem & incorrigibilitatem*: Lapis enim gravis & intractabilis: Ita Apostolis toties etiam admonitis vix evelli potuit regni terreni opinio.

2. *Ob lapidum necessarium in ædificiis usum*: Ita Apostoli lapides in ædificio spirituali Ecclesiæ Novi Testamenti fuere, proximè lapidi angulari Christo superstructi, Ephes. 2. v. 21. 1. Pet. 2. v. 4.

SPIRITUS SANCTUS

est fluvius. Apoc. 22. v. 1.

106. *Ostendit mihi fluvium aqua viva, splendidum*

E

ian-

tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & agni.
Purus ille fuit fluvius: Spiritus sanctus est purus,
mundus.

1. *Ob nostri unctionem:* Ille enim est purum oleum, quo unguimur, typicè præfiguratum, Exod. 27. vers. 20. Apoc. 1. v. 5.

2. *In baptismo purificationem:* Baptismo enim purificamur & mundamur, Eph. 5. v. 26. ut lavacro regenerationis, Tit. 3. v. 5. hoc autem efficit Spiritus sanctus, Joh. 3. v. 5. purus ille fluvius.

3. *Per crucis purgationem,* Dan. 11. v. 35. Psal. 66. v. 10. Vis namque crucis est purificare. Purus autem fluvius Spiritus sanctus per crucis aquam nos mundat.

4. *Renovationem.* Spiritus sanctus facit, ut mundi simus, Philipp. 1. v. 10. 1. Cor. 5. v. 8. & in Christo per fidem puri.

5. *Evangelii donationem,* quod est purum illud lac, 1. Petr. 2. v. 1. 2. Deinde fluvius ille purus fuit, *instar crystalli.*

1. *Ob claritatem eximiam,* quæ in crystallo. Ita Sp. sanctus nos in claritatem agnitionis Dei introducit, 2. Cor. 3. v. ult. & tenebras omnes intellectus nostri dispellit, Ephes. 1. v. 18.

2. *Ob lucem.* Ita Spiritus sanctus tenebras intellectus nostri illuminat, Eph. 5. v. 8. cap. 1. v. 18. Verè Spiritus sanctus est Crystallus, ex qua de amore Dei erga nos divinare certò licet. Valeant reliquæ omnes Crystallomantiæ: hæc sola licita, probata.

3. *Ob varias virtutes Crystalli,* quales sunt sitim extinguere, viscerum pellere dolores. Sitim spiritualementem extinguit Spiritus sanctus & cordis dolorem pellit, clamans in eo: *Abba Pater,* Rom. 8. v. 15. & sic spirituales internorum viscerum dolores pellit. **Quis enim**

enim dolor est, quem non vox amicissima, ABBA, fanet?

9. *Processit de sede Dei & Agni fluvius ille: Spiritus Sanctus de sede Dei Patris & agni, hoc est, filii mittitur, & ab utroque procedit, Joh. 15. v. 26. Gal. 4. v. 6. Rom. 8. v. 9. Esa. 11. v. 4. Joh. 16. v. 15.*

SPIRITU SANCTO CORDA

nostra unguuntur.

107. *Levit. 8. v. 11. Moses altare sacro oleo inunxit, consperisitque inauguratorum sacerdotes Leviticos. Apostolice Deo consecrandi, ut sacerdotes spirituales, 1. Petr. 2. v. 9. qui sacrificium verbi in omni loco offerrent, Rom. 15. v. 16. Phil. 2. v. 17. Pii omnes quoque Dei altaria sunt, in quibus ipsimet Deo gratissimas offerunt victimas, Rom. 12. v. 1. 2. Hi ergo prius oleo Spiritus Sancti conspergendi & inungendi; Ille est unctio & oleum nostrum. Vid. inf. all. 112. Moses altare cum omni suppellectile sua unxit. Homini suppellex sunt oculi, manus, cor, pedes, omnia membra, quæ simul sacro isto oleo inungenda sunt, ut se arma justitiæ præbeant, Rom. 6. v. 19. cap. 13. v. 12.*

SPIRITUS SANCTUS

est aura levis.

108. *1. Reg. 19. v. 11. 12. 13. Vidit & audivit Spiritum grandem, commotionem, ignem. Postea vero tenuis aura sibilum. Vetus Testamentum habuit, 1. tempora Spiritus grandis, qui notat Dei iram & vehementiam sub lege. 2. Commotionis: ob pavorem, quem incussit lex, ut pædagogus iste Gal. 3. v. 24. Tenuis auræ sibilus est Spiritus Sanctus, qui cum se patefacit, statim se Deus nobis revelat, vultum gratiæ ostendit, vox illa amica in cordibus nostris ingeminatur, Roman. 8.*

E 2

v. 15.

v.15. *Abba*, & agnitio divinæ voluntatis nobis revelatur, 1. Cor. 2. v. 15.

SPIRITUS SANCTUS

est semen Dei.

109. 1. Joh. 3. v. 9. *Omnis, qui ex Deo natus est, non peccat, quia semen ejus in ipso.* Hoc semen Dei est Spiritus Sanctus. 1. *Ob humoris attractionem.* Semen enim humorem terræ ad se trahit: Ita Spiritus Sanctus, in piis, omnes affectus ad se trahit, regignit. Vide, quomodo Sanctus Spiritus omnes affectus Pauli Rom. 7. ad se attraxerit, vers. 14. 15. 16. 17. Huc pertinent piorum suspiria ad Deum, gemitus, desideria, quæ indicant semen Spiritus Sancti in eorum cordibus esse, & omnem humorem eorum ad Deum convertere velle.

2. *Ob terra mundationem.* Semen enim dum fruges profert, lolium prodit, quod evellendum est: Ita Spiritus Sanctus lolium peccatorum ostendit, & ab hoc terram cordis nostri mundat, cum varias virtutes in eo generat per verbum, Joh. 15. v. 6. Huc spectant fructus Spiritus, Gal. 5. v. 21. Ubi autem Spiritus fructus incipiunt, ibi peccatorum lolia desinunt.

3. *Ob fructuum assimilationem.* Ex semine tritici triticum succrescit, non hordeum. Ex columbino ovo non nascitur milvus, sed columba: ita ex Spiritu Dei filii Dei gignuntur, Joh. 1. v. 13. Ergo si Spiritus Sancti semen est in te; Vide ut fructuum Spiritus segetem ostendas in te. Ager segete ostendit, quod ei semen commissum sit.

4. *Ob successivam accretionem.* Ex semine paulatim crescunt fruges: Ita paulatim indiesque renovamur per hunc Spiritum, non seminis, sed terræ semen recipientis vitio, 2. Cor. 4. v. 16

5. Ob

3. *Ob pluvie irrigationem.* Semen pluviam irrigandum est, Esa. 55. v. 10. Ita semen Spiritus Sancti non est sine pluvia verbi, sed hæc duo conjunctissima sunt.

6. *Ob granorum multiplicationem.* Ex uno grano seminis multæ generantur spicæ; Ita ex Spiritu Sancto multi fiunt fructus in hominibus, Joh. 15. v. 2. 8. Luc. 8. v. 8. Gal. 5. v. 22.

7. *Ob receptibilitatem.* Gleba indurata semen non recipit, sed volucres cœli illud rapiunt; Ita Spiritum Sanctum indurata pectora recipere non possunt, Joh. 14. v. 17. Ezech. 16. v. 30.

SPIRITUS DOMINI

fructificare nos facit.

110. Gen. 1. v. 2. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Spiritus ille Domini est Spiritus Sanctus, sine omni dubitatione; cum ventus nondum fuerit. Itaque sicut in prima creatione Spiritus Domini super aquas se movit, eas fructiferas reddidit, calore vivifico fovit: Ita in regeneratione nostri Spiritus Sanctus se movet super aquas. *Homines sunt aqua illa*, frigida, omni calore charitatis destituti: Hos ille Spiritus calidos reddidit, & quasi novas creaturas in Christo producit, 2. Cor. 5. v. 17. cum denuo eos format, per verbi ministerium, Gal. 4. v. 19. quemadmodum gallina ovis incubat, ut pullos producat: Hanc enim emphasin vox in Genesi (Merachaphæt) importat. Conferri potest cum phrasi, Deut. 32. v. 11.

SPIRITUS SANCTUS

recreat nos.

111. Psalm. 104. v. 30. *Emittis Spiritum tuum & creantur, & renovas faciem terræ.* Duo hæc Spiritus Sancti effecta; ille enim emissus à Domino recreat,

E 3

novas

novas creaturas & homines (qualitative) facit, 2. Cor. 5. v. 17. Rom. 6. v. 4. 6. Gal. 6. v. 16. Eph. 2. v. 15. cap. 6. v. 24. quibus novum nomen in cœlo scribit, & in propriis piorum cordibus, nomen scilicet augustissimum filiorum Dei, Rom. 8. v. 15. Apoc. 2. v. 17. 2. *Faciem terræ renovat? Facies illa terræ* hominum status est, quem ille Spiritus emendat, emundat, immutat, renovat, innovat per verbi prædicationem, ut Christus speciem in nobis nanciscatur, Gal. 4. v. 19. De hac renovatione, Col. 3. v. 10. Eph. 4. v. 23. Rom. 6. v. 6, Gal. 6. v. 15.

SPIRITUS SANCTUS EST OLEUM

lætitæ, Pſal. 45. v. 9. Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitæ præ confortibus tuis.

112. Illud *Oleum est* Spiritus ille Sanctus.

1. *Ratione nostræ unctionis.* Oleo ungebantur in V. T. Reges, Prophetæ, Sacerdotes. Spirituales Reges, Prophetæ & Sacerdotes pii sunt oleo Spiritus Sancti unguendi, Apoc. 1. v. 5. 1. Joh. 2. v. 20.

2. *Conservationis.* Oleum non, nisi in solidis corporibus conservatur; In porosis & rarâ præditis substantiâ non item. Ita Spiritus S. in solido corde servatur, non pleno rimarum & mundi voluptatibus pervio, Joh. 14. v. 17.

3. *Luminis præbitionis.* Oleum luminis materia est, ex qua nutritur. Spiritus Sanctus verum divinæ cognitionis lumen nutrit, accendit, fovet: Hinc in omnem veritatem inducit & docet nos Joh. 16. v. 13. Hoc lumen Spiritus petit David, Pſal. 143. v. 11. *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu: Spiritus tuus bonus deducat me in terram rectam.* Ergo petit lumen in tenebricosa hâc terra.

4. *Vir-*

4. *Virtutis.* Oleum emollit dura, optimum præbet nutrimentum: Spiritus sanctus cor faxeum emollit, optimum animæ nostræ pabulum præbet, vulnera conscientie nostræ obligat, Luc. 10. ψ . 34.

5. *Penetrationis.* In ipsa enim ossa penetrat oleum. Psal. 109. ψ . 18. Spiritus sancti vis ossa animamq; ipsam penetrat, ut ossa nostra exultent, Psal. 51. ψ . 10. *Exultent ossa, qua contrivisti.*

6. *Supernationis.* Oleum enim aquis superinnatat: Ita Sp. sancti oleum ejusque operatio prædominatur aquæ cupiditatis vitiosæ, ne evaporando affectus moveat ad assensum peccati. Confer. Gen. 4. ψ . 7. 8. Gal. 5. ψ . 18. Rom. 8. ψ . 13.

7. *Eliquationis.* Oliva in torcularibus meliùs eliquatur, si calidâ conspergatur aquâ, teste Plinio. Oliva Sp. sanctus est, oleum lætitiæ semper destillans; cujus fluxum si non percipis, sub torculari precationis hanc sacram *olivam, calidæ devotionis aquâ consperge. Ita Jacob luctator fecit: Ose. 12. ψ . 4.* Ita David Pl. 102. v. 10.

8. *Confortationis.* Oleum membra confortat. Spiritus sanctus est fortitudinis Spiritus, Esa. 11. ψ . 2. robur largiens piis. Esa. 40. ψ . 30. cap. 28. ψ . 5. 6. *Fortes sumus in Domino: Eph. 6. ψ . 12.* membra nostra roborabit Spiritus sui oleo Dominus.

2. *Oleum lætitiæ dicitur Spiritus sanctus;* quia veram in mentibus piorum tranquillitatem efficit, veram pacem, Psal. 42. ψ . 12. Rom. 5. v. 1. cap. 14. ψ . 17. Joh. 3. ψ . 20. verum solatium. Ille est rivus integer olei, fluens ex petra Christo, alleg. ex Job. 29. ψ . 6. *Petra fundebat mihi rivus olei.*

SPIRITUS SANCTUS

est unctio, 1. Joh. 2. ψ . 27.

113. *Unctio docet vos de omnibus.* Spiritus sanctus illa

illa est unctio 1. *Ob oleum*. Supra all. 112. 2. *Ob illuminationem*. Unctæ pellucida sunt, illuminantur: Ita pii à Spiritu sancto illuminantur oleo ipsius sancto peruncti, Joh. 1. v. 9. Eph. 1. v. 18. cap. 3. v. 9. cap. 5. v. 14. tenebræ illæ densæ pelluntur, ut Eph 5. v. 8.

3. *Ob consecrationem*. Ungebantur enim Prophetæ, Reges, Sacerdotes. Ita unctio Spiritus sancti Prophetæ, Reges & Sacerdotes Dei designatur, 2. Cor. 1. v. 11. Hic Spiritus est verum *illud oleum, olim typicè adumbratum*. Exod. 37. v. 29. quod solum vulneribus Babel, hoc est, mundi, adhibendum, *Allegor.* Jer. 51. vers. 8.

4. *Ob mysticam significationem*, Prov. 27. v. 7. *Cor gaudet unguentò*. Quoniam unguento cor nostrum gaudet, nisi Spiritu sanctò? qui gaudium solidum efficit in cordibus nostris. Hinc Psaltes, Psal. 51. v. 9. & 13. *Dabis auditui meo gaudium, & Spiritu principali confirma me*. Hòc unguento ne unquam caput nostrum careat, assiduè, quotidie cum Davide ingeminemus ex Psal. 23. v. 5. *O Domine, unge caput oleo tuo, Spiritus sancti, ne pestifera musca (Diaboli) illud corrumpant per peccatorum fetorem!*

SPIRITUS SANCTUS

pulchros producit fructus.

114. Job. 26. v. 13. *Spiritus Domini ornavit celos*. Duo sunt. 1. Spiritus sancti effectum, quod est ornare, pulchrum facere. 2. Materia in qua, vel objectum. Ornat itaque Spiritus sanctus 1. *Internè* mentem variis virtutibus, *solatio* de pulchra cœli hæreditate, ex Psal. 16. v. 6. *verà pietate*, Syrach. 1. v. 11. 2. *Externè* cultum Ecclesiæ decente ordine, Psal. 27. v. 4. Psal. 48. v. 3. Cœlum Ecclesiæ est, in qua omnis pulchritudo illa conspicitur, tanquam in spirituali olea, Ose. 14. 7.

SPI-

SPIRITUS SANCTUS

est Dei digitus.

115. Luc. 11. v. 20. *Digitò Dei ejicio Dæmonia.* Matthæus reddit *Spiritu sanctò* cap. 12. v. 28. Hic igitur digitus Dei dicitur.

1. *Ob potentiam & operationem*, quæ exeritur per digitum, quorsum pertinet Rehabeami responsum, 1. Reg. 12. vers. 10. Ita Spiritus sanctus Dei virtutem 2. Cor. 12. vers. 9. ostendit. Hoc pacto virtutem digitumque Dei agnoverunt Ægyptii in Mose, Exod. 8. vers. 19.

2. *Ob scriptionem*: Digitis enim scribimus exaratusque literas. Ita Deus per Spiritum sanctum tabulas cordis humani exarat, novam legem inscribit, Jerem. 31. v. 33. imo, quod scripti sumus in librum vitæ, Dan. 12. v. 3. hoc velut syngraphâ in cordibus nostris scribit Spiritus sanctus, 1. Joh. 3. v. 20. & ex iisdem expungit chirographum legis, quod Christus sustulit, Col. 2. v. 14. Verba Dei Spiritus sanctus quoque cordibus inscribit, ut simus scripta Epistola, 2. Cor. 3. v. 2. 3. O felicem cordis tabulam, nomine novo decorandam! Apoc. 3. v. 12. in librum vitæ relatam, Apoc. 21. v. 27.

3. *Ob mollitionem*. Digitis enim plerumque mollia reddimus contrectamusque dura: Ita cor durum nostrum (vide cor) digito illo Dei tractabile & molle redditur, circumciditur, & carneum redditur, Ezech. 36. v. 26.

4. *Ob mysticam significationem*. Cant. 5. v. 5. 1. *Digitis sponse spiritualis myrrhâ stillârunt*: At digitus sponsæ spiritualis Christi myrrhâ Spiritus sancti stillat, quia hunc nobis misit, ut per solatiû & crucis myrrham nos à mundi putredine conservet, quòd myrrhæ proprium est, putredinem pellere. 2. *Digito Dei pepulit Christi*

E 5

stus

stus Satanam ex hominibus *corporaliter* obsessis, Luc. II. v. 20. Idem facit adhuc per ministerium verbi *spiritualiter*: Satanam ejectum vidi & velut fulgur de cælo cadentem, Luc. 10. v. 18. 3. *Scriptis Deus legem in tabulis*. Deut. 9. v. 10. Novam legem Dei digitus inscripsit cordibus nostris, Jer. 31. v. 33. 2. Corinth. 3. v. 3. 4. *Varii erant digitorum usus in aspersioibus, Leviticis intinctionibus*, Lev. 4. v. 6. Spiritus sanctus digitus ille Dei corda nostra Christi sanguine conspergit, in eundem intingit, Dan. 5. v. 5. 5. *Digitus in pariete instantem vindictam scribebat*: Ecclesiæ parietibus, per verbi prædicationem, mundi pœnas & ultionem Dei inscribit Spiritus sanctus per verbi ministerium, quò nosmetipsos ponderare iubemur, probare, an simus in fide, 2. Cor. 13. v. 5. 6. *Christus in aures surdi digitos immisit*, Marc. 7. v. 33. Surditas nostra spiritualis tolli non potest, nisi Spiritus sancti in aures nostras immersione.

SPIRITUS SANCTUS est nebula salutaris.

116. Gen. 2. v. 6. *Nebula ascendebat è terra & irrigabat omnem superficiem terræ*. Spiritus sanctus est illa *nebula*, qui cum in cordibus nostris precum thymiana adolet, Rom. 8. v. 15. propitiatorium operit, ne moriamur. Conf. alleg. Levit. 16. v. 13. Hæc Spiritus sancti nebula, cum cor nostrum occupat, eam statim lux cognitionis divinæ sequitur: Job. 37. v. 11. per allegoriam. Hæc *irrigat* nebula totam terræ superficiem, catholicâ scilicet verbi prædicatione (*Vid. verbum Dei ubiq; prædicatum.*) Hæc nebula è terra ascendit. Spiritus namq; sanctus datur non *immediatè*, sed *mediatè*, per terrena illa ministrorum vasa, 2. Cor. 4. v. 7.

SPI-

SPIRITUS SANCTUS
gloriam Dei illustrem facit.

117. Ezech. 43. v. 1. & 2. *Propheta à Domino ductus est ad portam versus orientem.* Porta orientis *Jerusalem* significare potest. *Exibit lex è Sion, & verbum Dei ex Jerusalem,* Esa. 2. v. 3. *Gloria Domini ingressa est* instar vocis aquarum multarum, v. 2. Ita discipulis *Jerusalem* regressis, ex mandato Christi, gloria Domini ingressa est, instar vocis aquarum multarum, hoc est, multiplicium donorum excellentia, Act. 2. v. 2. 3.

3. *Magnum lumen terræ* intulit ea gloria, v. 2. d. 1. Ita gloria Domini per Apostolos, Spiritu sancto repletos, in totum orbem terrarum longè disseminata est. In omnem terram exivit sonus eorum, Rom. 10. v. 18.

SPIRITUS SANCTUS
fluvius olei.

118. Ezech. 32. v. 14. *Flumina eorum quasi oleum adducam, dicit Dominus Deus.* Ad literam sonat de liberatione à potestate inimicorum & Ecclesiæ lætificatione: Allegor: nobis ab hostibus spiritualibus liberatis, Luc. 1. v. 74. dedit Deus aquas mundas, & fluvium instar olei fluentem, qui Spiritus sanctus est.

FLUVIUS VIVIFICUS.

119. Ezech. 47. v. 9. *Quocunque venerit torrens, vivet, &c.* Spiritus sanctus est fluvius ille vitarum, inchoans vitam spiritualem, bonos pisces (auditores frugi, Matth. 13. v. 48.) gignens.

SPIRITUS SANCTUS
est ignis.

120. Act.

120. Actor. 2. v. 3. *Apparuerunt illis lingua dispersita, tanquam ignis: Ergo Spiritus Sanctus ignis.*

1. *Ob violentiam.* Ignis violenter agit suam virtute: Nescit tarda molimina Spiritus S. gratia, Huc spectat plenitudo spiritualis, accretio, zelus & ferventissimus amor erga Deum. De his, 2. Cor. 6. v. 6. 7.

2. *Ob renovationem.* Ignis renovat injecta metalla & emundat: Ita Spiritus Sancti vis renovat pectora hominum & à vitiorum scoriis emundat, Eph. 5. v. 26. Col. 3. v. 9. 10. Eph. 4. v. 22.

3. *Ob segregationem.* Heterogenea ignis segregat. Lux & tenebræ, spiritus & caro heterogenea, mundi amor, Dei, Hæc segregat ignis Spiritus Sancti, ut simus purum aurum fulgens in cruce, constantiâ duce, patientiâ luce, Rom. 5. v. 2. 3. Patientiam enim Spiritus Sanctus operatur.

4. *Ob penetrationem.* Ignis calor penetrat: Vis Spiritus Sancti corda piorum; per verbum Dei, penetrat, ut ardeant fide, Luc. 24. v. 32. Charitate Dei & proximi, Cant. 8. v. 7. 2. Cor. 5. v. 14. Rom. 5. v. 5. penetrare ergo faciet cor, ut ipsum omnes calamitates penetret, Rom. 8. v. penult.

5. *Ob elevationem.* Ignis sursum tendit, sursum elevat subjecta occupata. Cor tuum si Spiritus Sancti ignis occupat, sursum tendit, thesaurum in cælis, non patriam in terris, expectat, Math. 6. v. 19. frequenter ingemiscit per hunc adoptionis Spiritum, Rom. 8. v. 15. ad cæli contubernium, Phil. 3. v. 20.

Hunc Spiritus Sancti ignem caveamus extinguere, 1. Thess. 5. v. 19. quod fit, si iniquitatis aquam Tob. 15. v. 16. imbiberimus, eam nos contra conscientiam ingurgitantes, ut Saul 1. Sam. 16. v. 14. Israelitæ, Esa. 64. v. 10. Excubiis hic opus est, versamur enim in Ægypto

pto mundi, in quo Pharao infernalis nos extinctos cupit; ideoque ignem Spiritus Sancti pravis suggestionibus extinguere allaborat.

SPIRITUS SANCTUS

est nubes.

121. Num. 9. v. 15. *Exstructum tabernaculum opernit de die nubes: à vespere autem usque ad mane ignis species.* Tabernaculum Ecclesiae typus, quæ à Christo exstructa, Amos 9. v. 11. Act. 15. v. 6. Hanc nubes Spiritus Sancti operit, gratiosè eam implendo donis, Eph. 4. v. 8. *Semper opernit, die & nocte.* Semper enim suis præstò est, ducendo eos in omnem veritatem, consolando, Esa. 59. v. 21. Joh. 16. per tot. Hæc nubes sola est sine nebulis & nubilis, non *opaca*, qualis Moysi illa, Exod. 19. v. 9. non *tristis*, sed salutifera & solatifera, ostendens nobis *arcum reconciliationis* in cordibus nostris, qui Christus, allegor. Gen. 9. v. 13. quoties super cordis nostri terrâ, nubes tristitiæ Deus ducit, qui ex inferno educit, 2. Samuel. 22. v. 12. 1. Samuel. 2. vers. 6. seque nobis inter calamitatum nubes, Job. 22. v. 14. subducit. Esa. 54. v. 7. ad hanc Spiritus Sancti nubem veritas Domini pertingit, Psalm. 93. v. 6. cum eam in cordibus nostris Spiritus sanctus obsignat. Hæc nubes tonitru edit, quoties à peccato te abstrahit, solò filialis timoris affectu, Utinam semper effectu! quisquis ita affectus, dicat cum Paulo, Rom. 7. v. penult. *Miser homo, quis me liberabit?* Nubes calore solis resolvitur in pluviam salutarem, Spiritus sancti nubem sol justitiæ in corda, & cordibus nostris resolvit in pluviam solatii, Rom. 5. v. 5.

SPIRITUS SANCTUS

est fons.

122. Joel. 3. v. 18. *Fons de domo Domini stillabit & irri-*

irrigabit torrentem Spinarum vel Sittim. Torrens Sittim vel Cedrorum est Ecclesia: in hac enim sunt Cedri, Sittim, Psal. 92. v. 13. Domus Domini quoque Ecclesia est, ex qua & in qua stillavit fons ille Spiritus sanctus, ita dictus.

1. *Ob sui communicationem aequalem.* Fons æqualiter se communicat pauperibus divitibusque. Ita apud Spiritum Sanctum nullus personarum est respectus; omnibus se libenter communicat, quando omnibus salutarem baptismatis fontem apertum ostendit, Zach. 13. v. 1. *Non est hic Judæus vel Græcus, non mas aut femina,* Gal. 3. v. 28. Hoc indicavit Christus, omnes promiscuè ad se invitans ad bibendum ex hoc fonte, Joh. 7. v. 37-38.

2. *Ob sordium ablutionem.* Aquâ ex fontibus hauritâ sordos corporis abluere possumus. Spiritus Sanctus in lavacro regenerationis hanc aquam suppeditat, animâ inquinamenta tollens, Zach. 13. v. 1. 2. Petr. 2. v. 20. Ephes. 5. v. 26. Ezech. 16. v. 9. Confer locum de *Baptismo.*

3. *Ob locorum adjacentium fecundationem.* Loci fontibus vicini fecundi redduntur: Spiritus Sancti opus & effectum est spiritualis nostra fecunditas & fertilitas, I. Cor. 3. v. 7. Phil. 1. v. 11. Quicquid in nobis fecunditatis aut bonorum operum, hoc totum à spiritali Spiritus Sancti fonte promanat.

4. *Ob perennem aquæ protuberationem.* Fontes enim jugiter aquâ abundant, quia ortum ex mari ducunt, vel ipsa teste scripturâ, Eccles. 1. v. 7. Ita Spiritus Sanctus est fons aquis gratiæ jugibus circumfluens, quia & ipse fons est ad nos derivatus ex mari infinito bonitatis & misericordiæ scaturiens, Tit. 3. vers. 5. *Secundum misericordiam suam* (hic est mare) *salvos nos fecit*

fecit per lavacrum (hic est fons) *regenerationis*. (hic est derivatio fontis.)

5. *Ob specierum ostensionem*. Fontes species visibiles oculis subjiciunt, animoque repræsentant; Spiritus sanctus nobis nostram infirmitatem ob oculos ponit ostenditque, simul verò eandem sublevat, Rom. 8. v. 26. 27. & in gratia Domini solidum fulcrum ostendit. 1. Cor. 12. v. 9.

6. *Ob caloris refrigerationem* (Conf. infra: *Spiritus sanctus aqua*.) Ita sanctus Spiritus ætium cordis nostri refrigerat ab igne legis conceptum.

7. *Ob motum in altum prorumpentem*. Fontes non latent in terræ cavernis, sed aquas in altum protuberant. Ubi Spiritus sanctus in cordis humani cavernam se abscondit, inhabitando gratosè, non latet, sed patet, foràs prorumpit. Matth. 5. v. 16. *Luceat lux vestra*. Movet se contra carnem. Rom. 8. v. 13. movet se sursum, per desideria piorum ad Deum.

8. *Ob fontium mirabilitatem quorundam applicationem*. In Boëtia duo fontes esse dicuntur, quorum alter memoriam confortat; alter oblivionem inducit. Utriusq; fontis naturam Spiritus sanctus inducit, oblivisci nos terrenarum rerum faciens, & memoriam æternam inscribens, Psal. 45. vers. 11. *Filia obliviscere domum*. Philipp. 3. v. 13. *Quæ retrò sunt, obliviscor*. Fons quidam in Ægypto faces accensas extinguit, extinctas accendit; Ita Spiritus sanctus vitiorum faces in homine extinguit, facem fidei & dilectionis accendit: unde monet Apostolus, ne Spiritum extinguamus, 1. Theff. 5. v. 19.

9. *Oblatificationem*. Fontibus quivis gaudet & lætatur. Lætam facit civitatem Dei fons ille Spiritus sancti, in quo solum solidum solamen, Rom. 14. v. 17. solus

solus latificans civitatem Dei Psal. 46. v. 5. *Nehemia videns Jerusalem civitatis muros fractos & ad fontem Draconis perveniens, magnâ animi tristitiâ affectus est: Nehem. 2. v. 13. Anima nostra vera fuit Jerusalem & visio pacis in statu innocentia. Verùm eam infernales Chaldei Diaboli miserè vastarunt, & fontem Draconis, hoc est, venenatum peccati contagio fecerunt. Contra hunc peccati fontem, Jerem. 6. 7. solatio sit fons Spiritus sancti, fons verus ille Jacobi, Joh. 4. v. 6. hoc est, Christi, qui hunc in vulneribus suis nobis effodit.*

SPIRITUS SANCTUS

cum aqua confertur, Joh. 7.

vers. 38.

123. *Quisquis credit in me, de ventre ejus fluent aqua viva. Aqua illa viva sanctus Spiritus.*

1. *Ob largissimam effusionem.* Aquam largiter effundimus: Spir. sanctum largiter in nos effudit Deus, Tit. 3. v. 6. Sicut Christus promiserat, Joh. 4. vers. 10. cap. 7. v. 38.

2. *Refrigerationem.* Aqua refrigerat æstum & calorem: Ita sanctus Spiritus refrigerat æstum. 1. Crucis. 2. Conscientiæ. 3. Iræ divinæ. In his tribus spiritualis quidam ignis est.

3. *Conglutinationem.* Aqua conglutinat corpora; ut ex aqua & farina panis fiat. Ita Spiritus sanctus cor humanum & Deum conjungit. Hæc est unitas Spiritus Eph. 4. v. 3. 1. Cor. 12. v. 13. Per hunc Spiritum unum sumus in Christo, Gal. 3. v. 28. ad patrem accedimus, Eph. 2. v. 18. stamus in hoc Spiritu, Philipp. 1. v. 27. & unus panis sumus, 1. Cor. 10. v. 17.

4. *Suis sedationem.* Aqua sitim sedat; Ita Spiritus

tus

tus sanctus spiritualem animæ sitim (de qua Pf. 42. v. 3. Psal. 63. v. 2. Matth. 5. v. 6.) sedat, Esa. 55. v. 1. cap. 12. v. 3. Apoc. 21. v. 6. Mundus enim est verè terra arida, Ezech. 19. v. 12. & desèrtum, ut Exod. 17. v. 3. ex quo haurimus nullam aquam. Mundus est cisterna vacua illa, Jerem. 2. v. 13. Spiritus sanctus fons ille est.

5. *Mundationem.* Ut enim aqua mundat : Ita Spiritus sanctus mundat nos & verbo & sacramentis, Eph. 5. v. 26. Ezech. 36. v. 25. *Effundam aquas mundas* ; ad Ecclesiæ societatem. Act. 10. v. 15. fidei capacitatem. Act. 15. v. 9. veram sanctitatem. 1. Joh. 1. v. 9. conscientie tranquillitatem, Hebr. 9. v. 14.

6. *Vegetationem.* Aqua enim humore suo arbores vivificat, plantas reficit : Ita Spiritus sanctus pios fructibus implet. Phil. 1. v. 11. quos ferre debent. Joh. 15. v. 16. spirituales Domini arbores.

7. *Mollefactionem.* Aqua mollia reddit corpora : Ita Spiritus sanctus corda sæxea mollia reddit, Ez. 36. v. 26. mansueta, ad laudem Dei parata, Psal. 57. v. 8. ad bona opera expedita.

8. *Nutritionem.* Pisces ex aquâ nutrimentum accipiunt. Auditores verbi sunt *pisces*, ex mari damnationis per sagemam verbi extrahendi, Matth. 13. v. 48. Hi aquâ Spiritus sancti nutriuntur, ne deficiant in cruce, & mundi hujus palude.

9. *Vivoris conservationem.* Aqua in arboribus & plantis virorem conservat, quæ sine eâ exarescerent : Ita Spiritus sanctus virorem spiritualement in nobis conservat, Osee. 14. v. 9. Pf. 92. v. 13. & 14. ne arescamus.

SPIRITUS SANCTUS

est currus Christi, quò nos è mundo educere vult.

124. Joseph fratribus suis currus dedit, quibus

F

pater

pater in Ægyptum veheretur, Gen. 45. vers. 21.

1. *Joseph* Christus est, qui ut *Joseph* in Ægypto, ita ad dexteram Patris cœlestis est, Eph. 1. v. 21. super omnem potestatem, Psal. 110. v. 1. Matth. 28. v. 18.

2. *Fratres* sunt *ministri verbi*, qui officium sacerdotale (ministerialiter) in regno gratiæ gerunt, 1. Corinth. 4. v. 1. 2.

3. *Currus*, quos mittit cœlestis noster *Joseph*, Spiritus S. est, quem mittit nobis, ut ex hujus mundi Ægypto educamur: Ille educit nos è tentationibus, 1. Cor. 10. v. 13. & in omnem veritatem inducit, Joh. 16. v. 13. *Currus* est, quò vehimur. Per Spiritum sanctum Deus in corda nostra invehitur, Joh. 14. v. 23. *Veniemus ad eum*, & mansionem apud eum faciemus.

Hunc currum Spiritus sancti, quisquis non contemnit, eum olim in suo curru gloriæ sedere faciet Christus, Joh. 17. v. 24. *Joseph venienti patri & fratribus in curribus missis obviam, curru veclus venit*. Gen. 46. v. 29. Ita nobis in curru nubis obvius erit in extremo die, 1. Thess. 4. v. 17. *Obviam rapiemur Domino in nubibus: Qui Satanæ currum amant, eos mare rubrum divini judicii obruet*, ut Exod. 14. v. 28. horum currus & aurigam igni inextinguibili comburet cœlestis *Josua*, ut Josuæ 11. v. 6. *Verè tunc Dei currus erunt instar turbinis*, quod aliàs de Chaldæorum curribus scriptura testatur, Jerem. 4. v. 13. iis præsertim, quorum cor fuit instar rotæ currus, instabile scilicet & vagum, nec quietum in Domino, Syrach. 33. v. 5. Esa. 30. v. 15. *In silentio & spe fortitudo vestra*.

SPIRITUS SANCTUS

est aqua ex petra.

125. Psal. 78. vers. 16. *Percussit petram & fluxerunt aqua*.

1. Petra

1. Petra vera Christus est, Esa. 8. v. 14. Matth. 16. v. 18. 1. Cor. 10. v. 4. 1. Petr. 2. v. 8.

2. *Percussa fuit* hæc petra spiritualis à baculo Mo-
fis: maledictione namque legis percussus est, Gal. 3.
v. 13. 14. nostris peccatis percussus est, Esa. 53. v. 6, pro-
pter oves dispersas percussus est pastor ovium, Zach. 13.
v. 7. Matth. 26. v. 31.

3. Aquæ fluxerunt: Hæc sunt Spiritus Sancti dona.
Vid. supr. quæ toties Christus promisit, mox passurus,
Joh. 15. & 16. cap.

SPIRITUS SANCTUS EST puteus aquarum viventium.

126. Cant. 4. v. 15. *Tu es puteus horti, puteus aqua-
rum viventium de Libano fluentium.* Spiritus Sanctus
est ille spiritualis puteus, hortum Ecclesiæ fecundans.
Confer. *Spiritus sanctus est fons.* Est autem puteus
aquarum viventium; non enim morietur æternum,
qui hunc gratiæ fontem habebit, in æternam vitam
scaturientem, Joh. 4. v. 14. Hæ aquæ de Libano ve-
niunt, hoc est, cælo, & magnâ copiâ fluunt, Tit. 3. v. 6.
Act. 2. v. 17.

SPIRITUS SANCTUS est aquilo & auster.

127. *Surge aquilo & veni auster, perfla hortum
meum, ut ejus aromata stillent,* Cant. 4. v. 16. *Spiritus S.
est aquilo ille & auster,* qui perflat hortum Ecclesiæ
virtute suâ, Luc. 24. v. 49. & tunc stillant omnis ge-
neris odoribus & fragrantis & unguentis, *aromata
spiritualia,* hoc est, pii, qui Deo odorem præbent bo-
næ fragrantia, cum pietati student, Phil. 4. v. 18. odor
vitæ sunt, 2. Cor. 2. v. 15. Gen. 8. v. 21. sacrificantes sa-
crificia, Rom. 12. v. 1. 2. aromata enim res odoratæ di-
cun-

cuntur à Medicis. Odorem bonum fidei in suis fidelibus observat cœlestis medicus J. C. Jerem. 5. v. 3. *Domine, oculi tui respiciunt fidem.*

SPIRITUS SANCTUS EST
puteus aquarum viventium.

128. Apoc. 22. v. 1. *Fluvius aqua viventis purus, splendidus, instar crystalli, procedens de sede Dei & agni;* visus est Johanni. *Fluvius* ille Spiritus Sanctus est, oriens ex infinitæ bonitatis divinæ mari, ex cœli Edem, ut hortum Ecclesiæ inundet, Gen. 2. v. 10. Hic est fluvius miraculosus, nos inebrians, Psal. 36. v. 9. vera sapientiæ scaturigo, Christi scilicet, Prov. 18. v. 4. Vide supra 126. all.

SPIRITU SANCTO NON
perfectè renovamur, recep-
tivè scilicet.

129. *Spiritus primitias habemus*, Rom. 8. v. 23. *Primitiis* Leviticis nomen deductum. Messis ergò plena copiosa in altera vita sequetur, ubi Spiritus Sanctus, exutâ prius infirmitate omni, pios plenissimè inhabitat. Paulus utique Spiritum Dei habens, tamen clamabat, Rom. 7. v. penult. *Quis me liberabit?* Hinc sumus *primitiis* Deo & agno Apoc. 14. v. 5. Spiritus Sancti ergò primitias, quæ ipsius motus sunt & agitatio, spontanei sequamur; non tardemus, Exod. 22. v. 29. *Obedientiæ & pietatis Christianæ primitias*, quid enim his prius: (sic Tobias primitias suas Deo fideliter obtulit, Tob. 1. v. 6.) ut cum Christo, primitiis, resurgamus, 1. Cor. 15. v. 23. Consummativè, qui non potuimus in hâc vita vitæ sanctimoniâ cum Christo perfectè resurgere.

IN

IN APOSTOLIS LINGUÆ

dispertitæ & igneæ significant

Aët. 2. v. 3.

130. 1. *Charitatis augmentationem*, quâ donati sunt, spiritu charitatis in eisdem effuso: Charitas autem ignis dicitur Cant. 8. v. 6. Lampades charitatis, lampades ignis atque flammaram.

2. *Ejusdem divisionem* ex parte objecti. Charitas dividitur in eam, quæ erga Deum & proximum, Matth. 22. v. 38. 39. Ita & Apostoli arserunt charitate Dei, cujus propagandæ gloriæ se emanciparunt, & charitate proximi, cujus salutem indefensâ prædicatione quæsi-
verunt, nullæ persecutionum aquæ hunc ardorem extinguerere potuerunt, Rom. 8. v. 35. seq. 2. Cor. 6. v. 4. 5. 2. Cor. 12. per tot.

3. *Gratiæ communionem*, etiam inter gentes prædicandam, non solos Judæos, beneficio linguarum bipartitarum, Aët. 10. v. 35. cap. 15. v. 9.

4. *Prædicationis efficacitatem*. Ignem veni mittere in terram, Luc. 12. v. 49. Hunc prædicationis ignem linguis suis Apostoli miserunt.

5. *Idolomanias abolitionem*. Ut enim ignis purgat & consumit: Ita prædicationis Apostolorum consumpsit impuritatem idolomanias & verum Dei cultum restauravit, Aët. 17. v. 3. *Ignis in circuitu devorabit inimicos ejus*. Inimici gentiles erant, Eph. 2. v. 3. hos ignis prædicationis in orbis circuitu (Rom. 10. v. 18. In omnem terram sonus) accendit, devoravit, inflammavit, aut convertendo, aut odorem mortis præbendo, propriâ tamen hominum luci tenebras anteferentium, Joh. 1. v. 5. cap. 3. v. 19. *culpâ* 2. Cor. 2. v. 16.

6. *Legis & Evangelii discretionem*. Utraque pars doctrinæ cælestis ignis est; sed diversis Objectis ap-
pli-

plicandus & velut discernendus, ut oleum & vinum; Lex ignis *consumens*; Evangelium ignis purificans, inflammans, se totum suaque omnia in proximum *insumens*, Cant. 8. v. 10. 1. Cor. 13. v. 4. seq.

SPIRITUS SANCTUS

est pignus & arrha.

131. 2. Cor. 1. v. 22. cap. 5. v. 5. *Pignus Spiritus dicitur:*

1. *Ob foederis pactionem*, quod ille confirmat. *Foedus* enim nobiscum pepigit, Esa. 55. v. 3. *baptismatis* & spiritualis circumcisionis, Gen. 17. v. 4. 1. Petr. 3. v. 21. foedus aeternum hoc est, Ezech. 37. v. 26. Ex hoc clamat Spiritus, *Abba*, Rom 8. v. 15.

2. *Ob spiritualis contra actus emptionisque nostri firmitatem*: Empti enim sumus sanguine Christi, 1. Cor. 6. v. 20. cap. 7. v. 23. 2. Petr. 2. v. 1. Apoc. 14. v. 3. *de terra empti*, ne sapiamus terrena Phil. 3. v. 19. 20. suspiremus ad caelestia, Psal. 25. v. 1. emamus fide spiritualia bona, Esa. 55. v. 1. thesaurum illum & margaritam, Matth. 13. v. 44. 46. aurum, Apoc. 3. v. 18. Hanc *emtionem* nostri *passivam*, & *activam* vel applicativam fidei potius, Spiritus Sanctus, ut arrha, confirmat in cordibus nostris, Roman. 8. v. 38. 2. Timoth. 1. v. 12. *scio, cui credidi.*

3. *In sponsaliorum spiritualium certitudinem*. Desponsavit se nobis Dominus, Ose. 2. v. 19. Ezech. 16. v. 8. Spiritus Sanctus horum sponsaliorum arrha est, semper in piis manens, Esa. 59. v. 21. partes sponsaliorum omnes confirmans nobis, *justitiam* Christi imputatam, *judicium* irati Patris sublatum, per Abba illud, *misericordiam* ratam, *miserationes* statas, ut per Oseam promiserat. Sponsa arrham à Sponso in digito accipit. Sponsa spiritualis in corde ipso arrham hanc accipit, ut cor quiescat, Rom. 14. v. 17. 1. Joh. 3. v. 19.

ψ. 19. Hic est annulus aureus & vera arrha, cor nostrum cingens. Exod. 25. ψ. 12. *Circulus aureus arca portabatur.* Corpii est arca Dei, (habitat enim in illo, ut templo 1. Cor. 3. ψ. 16. sicut olim in arca) hæc circulo aureo Spiritus sancti gestanda est, quod fit, cum Sanctus Spiritus, ut arrha, in corde regnat.

4. *In liberationis nostræ indubitatam testificationem.* Obsides enim in solvendæ obsidionis significationem certissimam mittebantur. In hoc mundo spiritualiter obsessi sumus à morte, à malorum cohorte, à telorum Satanæ ignitorum segete: Ne frangamur animis, obsidem Spirit. sancti & arrhabonem cordibus nostris immittit Deus, liberationem promittentem, tribulationis brevitate ostendentem, 2. Cor. 4. ψ. 17. ad Patrem, suspiriorum remissio, gemitumque contententem, Rom. 8. ψ. 23. 2. Cor. 5. v. 2. Phil. 1. ψ. 23.

5. *In hæreditatis nostræ confirmationem.* Eph. 1. ψ. 14. quæ certissimè nobis reposita; 2. Tim. 1. ψ. 12. Nondum oculis exposita; nondum enim apparuit, 1. Joh. 3. ψ. 3. De hæreditate ergò cœlesti Spiritus sanctus nos certos facit, filiationem & adoptionem confirmat, ex qua hæreditatis jus colligitur, sequelâ Apostoli, Rom. 8, 16. 17. Gal. 4, 6.

6. *In matrimonii futuri asseverationem.* Arrha enim ideò datur sponsæ Christi cum Ecclesia sponsalia saltem sunt in hac vita: Maritus est, sed nondum stitit Ecclesiam Deo Patri, Eph. 5. ψ. 27. & sibi sine macula, nondum nuptiæ celebratæ sunt, Apoc. 19. ψ. 7. Matrimonium ergò spirituale in altera vita consummatur; arrha Spiritus sancti confirmatur.

7. *In reconciliationem.* Annulus aureus reconciliati patris arrhabo erat, Luc. 15. ψ. 22. Nostræ reconciliationis arrhabo Spiritus sanctus est, Rom. 8. ψ. 15.

Non accepistis Spiritum servilem in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba. (Pater.)

SPIRITUS SANCTUS

cum columba comparatur.

132. Quia in hujus forma ille apparere voluit, Matth. 3. v. 16.

1. *Ob pacis significationem*; unde ramum olivæ ad arcam Noachi detulit columba Gen. 8. v. 11. Pacem in corda nostra Spiritus sanctus infert, in cordibus obsignat, Rom. 14. v. 17.

2. *Ob simplicitatem*, quam amat columba. Non minus Spiritus sanctus, Matth. 10. v. 16. Simples sicut columbæ. Spiritus malus amat duplicitatem & fallaciam, 2. Cor. 11. v. 3.

3. *Ob mundiciem*, quam diligit columba. Diligit & Spiritus sanctus; Omnem immunditiam abominatur, Rom. 1. vers. 24. 2. Corinth. 6. v. 17. Eph. 5. v. 5. 2. Pet. 2. v. 10. 1. Theff. 4. v. 7. Tit. 2. v. 14.

4. *Ob fecundationem*. Columbarum genus fecundum. Spiritus sanctus operosus & fecundus est in cordibus piorum, quæ fructibus justitiæ replet, Phil. 1. v. 11.

5. *Ob societatis dilectionem*. Amant columbæ socios, socias; columbiq; nostri cordis societatem (ô misericordiam!) Spiritus sanctus diligit, Eph. 4. v. 4. *Unus Spiritus.*

6. *Ob eximiam columbarum in pullos pietatem*, non suos tantum, sed & alienos; Ita Spiritus sanctus omnes colligere vult sub alas gratiæ, omnes fovere. Vide, ne resistas cum Pharisæis, Act. 7. v. 51.

7. *Ob oblivionem*. Columbæ in eodem loco nidificant,

ficant, è quo pulli sublati. Spiritus sanctus non statim cedit, ubi homines ductum ejus aspernantur, sed semper instat, monet, per verbi ministerium: manus ad populum contradicentem expandit; Esa. 65. v. 2. Oblivionem insuper rerum terrenarum Spiritus sanctus inducit, Psa. 45. v. 11. Filia obliviscere tui *populi*, scilicet *mundani*, eorum, quæ retrò, Phil. 3. vers. 13. memoriam legis Domini conservat, Psa. 119. v. 16. 61. 64. & suspensionem oblivionis Domini tollit, Esa. 49. v. 15.

8. *Ob mysticam significationem.* Columba ex arca mittebatur, Gen. 8. v. 8. Ex Ecclesia arca Spiritus sanctus, gratiosè cohabitans, Esa. 59. v. 21. emittitur.

9. *Frequens columbarum usus erat in sacrificiis,* teste Levitic. Omnia nostra sacrificia naturam columbinam referant, sine qua Deo non sunt grata, Esa. 1. v. 13. & 15. Hæc autem Spiritus fructus sunt, Gal. 5. v. 22. hi fructus indicant, nos à columba sancti Spiritus gubernari.

10. *Cantic. 2. v. 14. columba mea in foraminibus petrae.* Spiritus sanctus nos in Christivulneribus, tanquam foraminibus petrae, reponit.

11. *Gemitus edit columba,* Esa. 38. v. 14. *Gemit & Spiritus sanctus* Rom. 8. vers. 15. *corda nostra gemere faciens.*

PII CUR ET QUOMODO templum Sp. sancti?

133. Ita sæpe dicuntur, 1. Cor. 3. v. 16. cap. 6. v. 19. 2. Cor. 6. v. 16.

1. *Ob fundamenti positionem:* Salomon pretiosos lapides fundamenta templi ponebat, 1. Reg. 5. v. 17. Spiritus S. ponit fundamentum in cordibus nostris,

F 5

Chri-

Christum, 1. Cor. 3. ψ . 11. lapidem illum angularem, Esa. 28. ψ . 16. huic lapidi superædificamur, Eph. 2. v. penult.

2. *Exornationem*. Spiritus sanctus pius variis donis & bonis exornat: intus fide, Actor. 15. ψ . 8. 9. extrinsecus charitate, Gal. 5. ψ . 22. Hæc sunt aurum & argentum, spirituale templi ornamentum, Psal. 45. ψ . 5. 10.

3. *Sanctificationem*. Tempa cum sancto cultui dicata, habentur sanctificata: Sanctificat & sua templa Spiritus sanctus, Eph. 5. v. 26. in lavacro baptismatis, in verbo veritatis, Joh. 17. ψ . 18. in operibus claritatis. Illa coram Deo patet: hæc homines non latet, Gal. 5. ψ . 6. 2. Tim. 2. ψ . 21.

4. *Pietatis exercitationem*. In templis exercetur pietas: In templis suis Spiritus sanctus pietatem excitat & dona: *Excita donum*, quod in te est, monebat Apostolus, 2. Tim. 1. ψ . 6. Cantat in cordibus nostris, Col. 3. ψ . 16. laudis sacrificia offert, majestate & nube gratiæ implet: Habitat enim per fidem in cordibus nostris, Actor. 15. ψ . 8. 9.

5. *Inhabitationem*. Tempa à cultoribus Dei inhabitantur, ut Anna Luc. 2. ψ . 37. Inhabitat & Spiritus S. templa sua, 2. Cor. 6. ψ . 16.

6. *Vasorum repositionem*. Sacra vasa, suppellexque in templis reponitur: Varia virtutum vasa reponit Spiritus S. in cordibus piorum, quæ aliàs vacua sunt templa, nihil, nisi idololatriæ vasa habentia, hoc est, impia & mala. Confer. 2. Tim. 2.

vers. 22.

